hac nuper iter faciens eum vehementer a nobis petierat, quem non paucos ante annos etiam emiserat in lucem Rob. Stephanus, ut ex bibliotheca Gesneri intelligo. Hunc alii Probum nominant. Auctor tamen ille, quisquis sit, nunquam satis commendatus. Qua ratione igitur tam antiquum et dignum munus compensare possim? Interim valde lætor, tibi nostra fuisse grata et probata Prisciani exemplaria. Quod ad versum mutilum in carmine de ponderibus scribis, addendum in fine 'et alto' pro 'in anglo', nimirum tanquam a sciolo quopiam suppositum, valde probo, sed quoniam in veteribus codicibus et impressis et manuscriptis lacuna est in medio versu, putarim non in fine vitiatum esse, imo ante duo ultima verba nonnihil reponendum. De Solino optimum equidem semper iudicavi, ut a te emendatior exiret in lucem et si quando volueris, quæ in eum adnotavimus ex vetustiss. et optimo codice, ad te mittam, nisi mavis nos vestrum exemplar videre, ut scribis. 'Ver sacrum' apud Plinium iam animadverteram nec in meo codice corruptum, non item apud Servium (manuscriptum autem illum habeo), ubi 'sacrum': tamen legi in antiquo impresso bene 'ver sacrum.' Pag. 37 *b* 'nec ignis adponitur in hanc congeriem cum porricias intulerunt.' Vetus meum exemplar habet 'prosicias intulerunt', rectius, quomodo etiam legisse videtur Camers. Festus enim 'prosicium' exponit, 'quod prosectum proiicitur.' Arnob. lib. 7. advers. gentes hanc eandem ipsam locutionem usurpat: 'Quod si omnes has partes, quas præsicias dicitis, accipere dii amant suntque illis gratiæ' etc. Neque alibi legere memini hoc verbum. (Verbum mihi neque usquam lectum antea neque auditum). Pag. 103 *b* 'Aegyptium limitem, qua ad Deltæ cacumen tendit, incolunt populi' etc. Deltæ cacumen, quod absurdum erat. Vetus habet 'dia cetaumen' idest *διακεκαυμένην*, partem torridam et inhabitabilem propter vim inflammationis sive debacchationem et ignis adustionem. Sic enim explicat Acron ad illud Hor. lib. III. od. III: 'Qua parte debacchentur igneis', ubi vulgo male *κεραυμένην* legi admonuit Nannius. Aetna et Mysia sive Mæonia a Græcis *διακεκαυμένη* nominantur apud Vitruvium lib. II cap. 6. Inde et apud eundem lib. 8 cap. 3: '*κατακεκαυμένης* vinum, quod nulli elegantia cedit.' De quo Plinius lib. 19 cap. 7 et Strabo lib. 12 et 13 extr. Meminit et huius regionis Stephanus *περὶ πόλεων*. Ibidem paulo post in penult. pag. linea 'ad quas commercia Arabes undique gentium subvehunt': vetus meum exemplar habet 'Arabes Indique subvehunt', idest Indi populi. Particulam 'gentium' ut adderent imperiti librarii, fecit, ut opinor (coniicio) corruptum verbum 'undique' pro 'indique.' Si aliter legas, quis sensus esse possit, non facile perspicio. Pag. 18 *a* 'cuius inspectandi cupidine L. Flaccum legatum Metellum etiam ipsum impendio admodum captos miraculo quod auditu refutaverant oculis potitos': in meo codice 'admodum' glossa positum in contextum ab imperito librario inductum. Adverbia enim sunt *ταυτόσημα* 'impendium' et 'admodum.' Pag. 31 *a* 'alisque impendio madefactis' et pag. 90 *b* 'quos impendio diligunt' et in epistola ad Adventum: 'studuisse me impendio fateor', quorum locus nullus ea glossa contaminatus fuit. Nec apud idoneos auctores sic coniuncta reperientur usquam: bene apud Ciceronem et Gellium legimus 'impendio magis' pro 'impendiosius', si dicere liceat.

V.

Elias Vinet an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 141.

Elias Vinetus P. Danieli S. P. D. Binas a te accepi literas, priores quinto Idus Januarias, alteras XVIII Kal. Februarias, officii utrasque et humanitatis plenas. De Cornuto [1]) quod scriptum fuerat in bibliotheca illa, legeram, et Jacobum Gupilum aliosque amicos nostros, qui Lutetiæ erant, de hoc percontatus fueram. Sed negarunt omnes, vidisse se unquam eum Persii interpretem et Robertum Stephanum edidisse [2]) non alterius, quam Nebrissensis in Persium commentaria. Gaudeo autem plurimum de isto Veneto [3]) exemplari, ex quo et altero illo tuo et eo, quod post Pictaviensem editionem nobis commodavit Joannes Tillius Brioncnsis episcopus, alteram editionem spero longe emendatiorem fore. In eo Tillii codice etiam 'Brisin' scriptum est pro 'Bris enim', de quo verbo nihil plane comperi. Sed 'Cloantem' 'Cleanthem' esse debere semper existimavi. Illa de 'Tucetis', quæ Fulgentius escas regias fuisse scribit, non unius sum interpretis. Cuius verbi vestigium nescio an nunc exstet ullum in Italia, sed quidam nuper apud me Hispanus contendebat, 'Tucinam' suam (sic illi suillam carnem vocitant) 'Tucetis' istis esse prorsus cognatam. 'Phisingi' denique nostri 'pisenni' sunt in Tillii nostri codice, qui sic habet hoc loco: 'Labeo poeta Latinus fuit, ut Fulgentius in libro etymologiarum ait, qui carmen et opus Homericon vertit in Latinum et placuit non magis auditoribus, quam lectoribus. Eius versus est:

Crudum manduces Priamum Priamusque pisennos.'

Quod vero ad Juvenalis vetustum interpretem attinet, quum Bernæ suus liber [4]) mihi reddendus foret, ut ista Cornuti commentaria facilius possem agnoscere, si forte alicubi in ea inciderem, aliquot loca, in quibus Cornutum citaret vetus interpres ille, in meo codice descripseram, quæ ex tuo Lovaniensi [5]) totidem mihi verbis describis, ut etiam iam videam, antiquum hunc commentatorem iampridem formis, quod minime suspicabar, vulgatum fuisse. Hoc eiusdem est interpretis, quod reperimus ad versum 136 primæ satiræ: 'Solebant antiquitus triclinia sternere et tres ordines lectorum, in uno quorum dominus cum familia sua discumbebat, in alio domina cum puellis suis, in alio vero hospites, sed Romani modo cenabant soli, ut isti.' In Solino nostro multa scite restituis, quem a nobis iterum emendatum iam accepisses, si quid esset otii a provincia. Quam tamen 'Diacecaumenen' legisti apud Vitruvium, ea in nostris exemplaribus est 'Catacecaumene' et longe diversa a Solini 'Diacecaumene.' Prisciani locum istum non habuit exemplar, quod misit nuper optimus et doctissimus ille Cuiacius, sed in nostro sic depravatus fuit. Restitues, scio, facile, quo præstas ingenio, eruditione et diligentia.

'Vindico' quoque in utraque significatione invenitur, tam pro læso, quam contra lædentem accipiendum. Unde 'vindicta' non solum 'pœna', sed etiam 'liberatio' accipitur. Persius:

Vindicta postquam meus a prætore recessi.

Unde et 'assertio' tam a servitute in libertatem, quam a libertate in servitium trahi significat,

[1]) Die Worte De Cornuto — soli ut isti finden sich bereits abgedruckt in Otto Jahns Persicus praef. p. CXVII, jedoch nicht mit der wünschbaren Genauigkeit.

[2]) A. 1549. [3]) Die editio princeps des Cornutus. [4]) Es ist der jetzige cod. Bern. 223.

[5]) Siehe O. Jahn l. l. p. CXVIII.

quod apud Livium in multis legimus locis. Attici *ΤΙΝΑ ΠΟΤΕΝΑΕΛΕΓΕΣ. καὶ ΠΟΤΕΝΑ ἔλεγες.* Simile Terentius in Adelphis :

aperite aliquis actutum ostium.

Attici *τὶ* ex supervacuo adiiciunt. *Πλάτων ἐν συμποσίῳ ΕΑΤΕ αΥΤΟΝ. ΕΤΟC ΓΑΡ ΤΙ ΤΟΥΤΟ ἔχει.* Terentius in Andria :

Subtristis visus est esse aliquid.

Πλάτων ἐπιταφίῳ. ΤΙΝΟC ΑΓΑΘΟΝ[1]) pro cuius causa. Cicero Philipp II: Illud Cassianum cui bono, idest cuius gratia aut ad cuius bonum. Attici *ΤΟΥ ΠΛΕΙΟΝΟC ΕCΤΙΝ ΟΥΤΟC ἀντὶ τοῦ ΠΡΟΜΟΝῳ Τῷ κέρδει ΕσΤΙΝ.* Frequentissime hac figura utuntur nostri. Sallustius in Jugurthino: Homines veter.[2])

Quod autem scribis, illi non posse vetusta superesse exemplaria, qui antiquos scriptores emendare aggreditur, hoc ita omnino habet. Quare quæ pro tua singulari in me benevolentia mihi tam liberaliter offers, videre et conferre cum meis cuperem, sed non video, qui facile fieri possit. Primum enim perquam paucos invenias, qui tanto locorum intervallo onus portare velint gravius. Deinde non tutum est, cuivis rem tanti pretii committere. Quæ in causa fuerunt, cur nondum tibi tuorum quicquam reddiderim. Constitui tamen per Pictavienses tabellarios, qui huc frequenter commeant et quorum fidem in multis iam sum expertus, aliquid conari. Tibi Pictavos ad Enguilbertum Marnefium illum nostrum (utinam tam doctum, quam bonum virum!) mittam, qui cotidie istuc euntes nanciscetur, quibus recte det, quæ ad te perferri velim. Vale. Burdigalæ. Nonis Februariis.

VI.

El. Vinet an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 145.

Monsieur, j'ai este fort ioieus, quand j'ai eu entendu par voz lettres, que vostre Censorinus vous avoit este rendu. Pour ce, que mon paquet demouroit par les chemins plus, qu'il ne devoit, j'ai un temps eu bele peur, qu'il fust perdu. Mais Dieu soit loué! Je ne sai, que c'est de ce poëte, dont me parles, fors, que monsieur de la Scala m'en fit voir 7 ou 8 vers l'an passe, pour me prouver quelque chose, qu'il entend du premier Bourdeaux, dont il parle. Si c'est chose, qui vaille, il seroit bon, de le fere imprimer, et quand ne trouveries de par de la aizement, qui le voulest publier, il peut estre, que nostre imprimeur le feroit, si la chose est petite, comme je pense entendre. J'ai trouve ces vers bons et aidans a l'Ausonius. Mais je vous prie, que ne vous vaille la poine, de le me fere copier, si n'aves gens bien a commandement, et ne mettes rien par chemin, que n'en gardies autant. Nostre Ausonius ne s'acheve encore par faute de tel papier, que celui, dont on la commance. Je me recommande cependant a vos bonnes graces et de tous nos autres amis et vous prie, quand aures moien de voir monsieur l'advocat Brisson, lui dire, que le remercie de sa bonne souvenance, qu'il a de moi. Dieu lui donne longue et heureuze vie et a vous aussy. De Bourdeaux ce 20 Mars 1578. Vostre humble serviteur Elie Vinet. Monsieur, dernierement,

[1]) Am Rand: v. cod. Regis habet *ἀγαθοῦ.*

[2]) Vindico — veter. = Prisc. XVIII p. 365, 8 — p. 366, 1 ed. Hertz. Vinet theilt die Stelle nach einer ihm gehörigen oder zustehenden Handschrift mit.

qu'ai veu en cete vile monsieur du Bois, lieutenant de Limoges, il me chargea, vous solliciter de publier ce commentaire de Servius, qu'aves plus entier sur le Virgile. Je vous en prie bien fort; mais cependant, si avies loisir de feuilleter sur le vers 616 du 9 Aen., ou i'a:

'et habent redimicula mitræ'

et voir, s'il i'a la 'calaticus' comme aux impressions, vous me feries grand plaizir de m'en advertir.

VII.

Elias Vinet an P. Daniel.*

Cod. Bern. 141, nr. 143.

Mònsieur, je pensois bien que vous ne esties sans grandz empeschementz, quant me n'escrivies si souvant, que autrefois et par ce vous excusois assez sans vous travaller de ce fait (?). Je ne me tormente plus de Aemilius Probus, depuis qu'ay veu les impressions dernieres de Basle et ne le voulois si non pour . . . . . Je vous remercie de ce fragment de Nepos, de la correction de Pausanias et des epitaphes d'Ausone, lequel j'ay cest hiver rabille du mieux, que m'a este possible et envoye a Lion pour Pasques dernieres. Je dis en quelques annotations, que l'on publiera aveque le Censorinus, que je doute; que ce, qui est cap. 20 de naturali institutione, et tout le reste jusques a la fin soit de mesme aucteur, or, s'il l'est, ce n'est de mesme livre. Je dis d'avantage, qu'il y a a penser, si ce livre la est l'entier escript de Censorinus ou quelques epitome. Vous me feres grand plaisir, de m'apprandre quelque choze de cela, combien que je pense, qu'a present l'imprimeur soit apres ces annotations, qui avoit imprime le texte des devant, qu'il allait a Paris et m'en avoit envoye. Je vous remercie aussi de Solinus. Je collationneray votre copie et la vous renvoyeray le plus tost que pourray. Cest 'ad Boreæ partes' je l'avois veu aussi ailleurs attribue à Priscianus: mais quiconque l'aie fait, il s'imprime aveque Ausonius. Je serais tenu a monsieur Brisson et autres aveque moy, s'il me pourroit mettre hors de poine touchant Priscian, mais pourtant ne le puis je guere aider de ce, qu'il me demande. Car de ces Normans je n'ay pas leu beaucoup plus de choze que lui et vous en vos historiens imprimes; fors qu'en ces vieulx livres il se trouve. Ainsi je ne sai, comment quelque choze adjoustre par les . . . . . pour leur memoire. Ainsi feu monsieur de Chorrai lieutenant de S. Maxent en Poiton me monstra et presta en sa maizon, il y a environs 30 ans, la vie de Carolus Magnus faicte par Eginhart: a la fin de laquelle y avoit sept ou 8 fol. de l'histoire de France: et la des Normans et d'autres quelques memoires, que ne me souvenois avoir veu ailleurs. Je croi, que les heritiers du dit feu sieur ont bien garde ce livre, comme j'entens, qu'ils sont gens de letres et que monsieur Brisson, qui n'est de loing de la, pourra aizement le retrouver. Quant a moi, je n'ay de ces gens la aucune ancienne histoire, que a la fin de la belle histoire . . . .

*) Der Schluss fehlt jetzt; Sinner sah den Brief noch ganz und gibt als Datum an: 'Bordeaux 20. Juli 1578.'

VIII.

Ob. Gifanius an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 160.

Monsieur, j'ay esté bien ayse d'entendre quelque chose de vous par ce bon seigneur surnommé le Procureur, que vous cognoissez et combien que il m'a dit de vostre santé, et que soyez apres pour faire advenir ce que je vous avois prié (j'entens moy le formulaire de Marculphus): neanltmoins j'eusse plus tost voulu cognoistre cela par voz lettres, lesquelles me font scavoir tousjours quelques bonnes choses. J'avois donné charge a Theodose Riholius (?) de bailler a Francfurt a Jaques du Puys l'Homere pour vous, mais ayant entendu, que le dit du Puys devoit charger quelques livres d'icy, il trouvoit mieulx d'y adjouster l'Homere icy, ce que puis il n'a point faict; or trouvant le dit du Puys partant le voulois bailler a ce Procureur, mais estant apres je ne l'icy voulu preferer. Je trouveray donc moyen par la voye de Lorraine de le vous envoyer. Des livres nouveaulx de ces foires je n'ay encores veu . . . . d'importance. Le libraire de Venize m'a dit, que Sigonius de iure antiquo Romanorum s'imprime a cest heur, mais bien reveu et aultrement faict, qu'au paravant, comme il me disoit. Je crois que un livre nouveau Reineri Reineccii syntagma de regibus variis imprimé a Basle fort est bon. Car combien que je ne l'aye pas veu encores, toutes fois je cognois le personnage, qui est docte en ces genealogies etc. Hotoman aussy a publié quelques chose sur le Cesar et le Sambucus aussy. J'espere toutes fois, que mea quoque symbola non erit aliquando infructuosa aut ingrata, his licet me antevertentibus. Quand a vous, Monsieur, tout le monde attendt voire, flagitat tuum Servium. Quare fac tandem, ut omnium votis doctorum et studiosorum respondeas et bene merendo de bonis artibus te ipsum omnibus carissimum et in posterum celeberrimum reddas. Je crois, que ayes trouve quelque chose en vers digne d'estre publié. Utinam in veteribus grammaticis uno volumine edendis (quorum quidam adhuc non sunt editi) aliquando operam præstare velles. Nam te scio posse. Quæ res magnam, mihi crede, utilitatem studiosis et doctis omnibus esset adlatura. Marculphum avide expecto, mercedem in describendo a te datum continuo ad te curabo. Verum unum est præterea, quod summis a te precibus impetratum velim, ut in Lucretio, in quo expoliendo elaborare cupio, me aliquantum adiutes. Poteris enim, si a D. Memmio vel aliunde vet. libri alicuius scripturas descriptas mihi mittas. Utinam Turnebi codicem nancisci (quod tibi difficile non erit) possis et ex eo varias lectiones, quas et Lambinus habuit, ad me perscribas. Quod te, ut facias, vehementissime te rogo. Ego rursus qua . . . . cumque potero, gratissimum omnium officiorum genere et obsequio me tibi ostendam. Agellium iam exorsus est Theodosius, cuius specimen ad te mitto. In eo spero meam in te gratitudinem intellectum iri. Quod superest, rogo te, ut per hunc, qui brevi huc est rediturus, de illis aliquid certi rescribas et de Balduino ac Lambino, an nulli eorum postumi libri brevi sint prodituri. Jam enim pridem Theodosium pollicitus est Balduinus multaque alia, et ille etiam Lambinus. Velim quoque scire, cur s. Fornerius in suis Selectionibus edendis non pergat. De lexico quoque iuris novo a Verrutio (quem puto mihi esse familiariter notum) edito, quid in eo ille novi attulerit, velim quoque te ad me perscribere. Miror autem Petrum Fabrum tanto intervallo nihil amplius edere, de quo etiam, ut et de Pithœo nostro, quid agant, quæso te, ne graveris per hunc ad me rescribere. Vale,

mi doctissime et amatissime Daniel! Salutem dices D. Pimpuntio V. C. et D. Memmio V. A., D. Brissonio, Pithœo, Gisio, Aegidio, aliis amicis. Argentorato 27 April. Tui amantissimus Ob. Giphanius.

IX.

Ob. Gifanius an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 164.

Monsieur et ami Daniel! Combien que j'attens journellement une bonne nouvelle en l'affaire, que vous scavez etc. Quant a mes estudes, ilz sont bien troubles de cecy. Vide tamen, quid animadverterim etsi leviculum. In Livio lib. 3 ex l. v. ita leg. observavi: 'Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse, præiudicium rei tantæ afferre, sibi placere de eo quo' etc. 'Verum non esse' idest 'non esse æquum', 'non decere', ut quisquam præiudicium afferat rei tantæ maxime cum animi gravioribus rebus sunt occupati. Si locum conferre voles, facile videbis, quid Glareanus, Rhenanus et Sigonius hic egerint. Nosti 'verum' pro 'æquo iusto' poni: 'verum est' 'par est': Horat.: 'Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.' Sic quoque idem Livius alibi sæpe est locutus lib. 35, lib. 40 et lib. 23. Sic leg. puto contra Sigonium: 'pro his tantis totque victoriis verum sacrum diis immortalibus agi haberique.' Nam sententia videtur esse ista: dicebat namque Mago frater Hannibalis, ob tantas res a fratre gestas iustum esse ac debere sacrum agi et haberi diis immortalibus Karthagine. Sic enim lib. 39 'æquum' dixit: 'Petiit a patribus, ut æquum censerent ob remp. bene ac feliciter gestam et diis immortalibus honorem haberi iubere et sibi triumphum decernere. Quæso te, ut brevi istic tibi adesse possim et ut hærere istic aliquamdiu sit necesse et tamen ut aliquid habeam. Vale amice candidissime! Dn. Pimpuntio, Dn. Memio et Pithœo ac Dn. Brissonio me ut commendes, te oro. Ramus dixit Cantero, vix esse spem de Symmacho. Sed tu facilius omnia. Aureliano raptissime. VI. Id. Febr. 1567. Tuus ex animo Gifanius.

X.

Ob. Gifanius an P. Daniel.

Cod. Bern 141, nr. 161.

S. D. Sæpe diuque te rogavi, vir doctissime, ut Chronicam illam de rebus gestis nepotum Caroli Magni, in qua et fœdus est inter eos sermone Germanico et Gallico conscriptum, ab D. Tilii heredibus commodato sumptam describendam mihi curares. Idem et nunc te vehementissime rogo, ut mea causa id cures. Scio, te gratia tua et auctoritate facile id consecuturum, quod Bodinus iam est consecutus. Nam in libris suis de rep. fœderis verba quædam commemorat. De Servio tuo magna multorum hominum doctorum est expectatio, de quo miror, te id pati, ut optima quæque alii delibent, cum possis tuo beneficio omnia integra reservare, si primo quoque tempore totum in lucem proferas. Utinam vero Francicarum aut Gallicarum rerum scriptores historicos et chronicographos una D. Pithœo aliquot in lucem proferatis, quos scitis multos in vet. bibliothecis latere. Nos in Germania nostros fere pro-

tulimus, Othonem Frisingensem, Lambertum Schaffnaburgensem, Helmoldum, Conradum a Lichtenau etc. In Gallia præter Gregorium Turonensem et Adonem vixdum ullus est editus. Nam Gaguinus, Monstreletius recentiores sunt. Nactus ego sum hic Symmachum pervetustum in libros 9 distinctum, mutilum tamen, de quo tibi D. Guachotius, cui has litteras tibi reddendas dedi, testificari poterit. Eum dabo operam ut primo quoque tempore typis descriptus divulgetur. Liber est egregius, quocum ne dignus quidem est D. Cuiacii liber, quo et ipso sum usus, qui comparetur. Quod reliquum est, peto a te, et D. Pimpuntium salvere a me iubeas perofficiose et D. Pithœum, cuius ad fratrem D. Franciscum ut hæ litteræ curentur, magnopere mea interest. Iam enim quadriennium est et quod excurrit, cum ei librum Ant. Augustini, in quo (?) constitut. aliquot in C. desideratas et Iulianum aliaque ..... Ilerdæ editum Romæ a me emptum hic (huic ?) utendum dedi nequedum eum reciperavi. Salutem quoque dices doctissimo D. Puteano. Quæso te, ut ad proximum mercatum Francofurt. per Iacobum Du Puys aut mercatorem Parisiensem (Pierre de la Chorde, devant la Croix de ferr, rue de S. Martin) certi aliquid de his tuisque de rebus perscribas. Vale vir doctissime. Argentorato in festo Epiphaniæ 1578. Toto pectore tuus Ob. Giphanius.

XI.

Joh. Brodæus an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 241a.

Ioa. Brodæus Petro Danieli S. P. D. Accepi literas tuas, quibus me hortaris, ut obscuros Plautinæ Aululariæ, quam ad me misisti, locos explicem. Ego si id præstare iustis de causis nequeo, te, ut mihi ignoscas, vehementer rogo, cui huiusmodi studiis vacare in præsentia vix per otium licet: omnem enim meam curam atque operam divinis scriptis Hebraicisque literis impendo. Omnino tamen id, quod postulas, aggrederer, primum, ut tibi morem gererem, deinde, ut Compini*) voluntati obsequerer, cui non parere scelus putarem, nisi Tornebum hominem eruditissimum (cuius discipulum si me esse profitear, multum mihi assumam) in omnes Plauti fabulas commentarios propediem in lucem emissurum certo scirem: ad quem si mature codicem tuum miseris, cum mihi gratissimum feceris, tum virum optimum tibi perpetuo devinxeris. Compino ac Fornerio meo nomine salutem plurimam dices. Vale. Turone III No. Octob. 1561.

XII.

Joh. Brodæus an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 242.

Aululariam tuam cursim legi, de qua quid sentiam, paucis dicam. Ea omnino Plauti esse mihi non videtur, primum, quia huius autor aurei rami, cuius lib. 6 meminit Virgilius,

*) Ein Brief des Brodaeus an Nic. Compinus in dieser Angelegenheit ist noch vorhanden, datirt Turone Cal. Nov. 1561 (cod. Bern. 450, 48 nr. 4) worin es heisst: .... Litterae tuae, quibus tibi gratum fore ostendis, si Petro Danieli satisfecero. Ego tametsi gravissimis studiis detentus sim .... non tamen abs te accusari officium meum patiar: tibi igitur morem geram Plautinamque Aululariam, si eam ad me remiserit Daniel, perlegam nonnullosque forte locos illustrabo, in quibus explicandis neque omnem laborem meum neque industriam positurum me assero.

fabulam attingat, idemque Apicium nominat. Constat porro, Virgilium et Apicium aliquot post Plautum sæcula vixisse. Deinde, quod nullas prorsus dictiones, quæ a No. Marcello ac Festo explicantur, in tua Aulularia comperio, contra vero plerosque in nostra hac typis excusa passim apud eos offendes. Postremo nos valde movet dissimilis utriusque scriptoris oratio ac stylus: nam Plautus facetiis ac salibus refertus est atque antiquitatem redolet, quæ in tuo desidero omnia. Habeo et alias longe certiores notas, quæ eos numquam fallere solent, qui multum tempus in legendis pœtis contriverunt. Vale. 17 Cal. Decemb. Turonibus.

XIII.

L. Carrio an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 152.

L. Carrio P. Danieli suo S. D. Macrobius tuus, mi Daniel, una cum fragmento ad te redit. Alterum vero, cuius mihi consuetudo et utibilis est etiamnum et necessaria, tantisper apud me retinere rectum est, dum tua præsentia et suavissima allocutione desiderium tui, quod vix fero, aliquam partem minueris. Biturigis certorum negotiorum Aurelias venimus fortasse an octo diebus illic hæsuri. Interea, quod commodo tuo fiat, Donatum Cuiacii, quem Biturigas mecum feram, ad me mitti per sane cupio. Sic enim me facere Cuiacius noster voluit, qui aliud Donati exemplar longe optimum nuper nactus est. Si te domi esse primo tempore cognovero, erit fortasse, ut istuc excurram. Scribe, si quid in commentariis tuis Virgilianis veteres interpretes ad illum locum lib. 5 Aeneid.:

Intentaque brachia remis
Intenti exspectant signum

olim annotarint. Vale, mi Daniel, et me ama, quod certe mutuiter feceris. Neque enim diligi a te contentus sum. Aureliis e collegio D. Columbæ 5 Idus Novembris 1580.

XIV.

L. Carrio an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 153.

L. Carrio Petro Danieli suo. Exspectavi, mi Daniel, ut Priscianum et Minucium ad me mitteres, quod hactenus factum non esse doleo, peto ut primo quoque tempore fiat. Interea Vegetium et Cæsarem remitto, et de eorum usu mihi concesso amo te. Si quid apud me est, quod tibi usui esse potest, ut tuo utere. Res Flandricæ eodem fere statu sunt, quo ante, neque quid futurum sit, satis scimus. Tu siquid intellexisti, fac ne nesciamus. Liber Scaligeri nondum absolutus est; ne emendationes quidem meæ. Simul exierint, faciam videas. Vale, mi Daniel, et me ama. Aureliani XII Kal. Junias 1583.

XV.

Theodor Canter an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 210.

Quam mihi gratæ fuerint literæ tuæ (amicorum optime) quantaque animi lætitia gestiverim iis inspectis post longam et diuturnam expectationem, verbis exprimere satis non possum idque multis de causis, tum quod te etiamnum optima ac bona valetudine frui intellexerim, quam tibi perpetuam ac diuturnam opto ac precor, tum quod ex iis cognoverim animi tui erga me benivolentiam atque promptitudinem, ut qui tam prompte ac liberaliter ea, quæ a te petieram, executus fueris neque diuturnitatem temporis aut locorum longinquitatem amicitiæ nostræ (quam semper firmam ac ratam velim) nubeculam aliquam obduxisti. Ego vicissim pro mea virili omnibus modis conabor atque etiam operam dabo, ne per me stetisse videri possit, quominus sinceram et non fucatam amicitiam inter nos colamus et exerceamus. De Carrione quod scribis, sedulo curabo atque hominem ipsum, si potero, conveniam. Statim enim post festum Paschalis ipse cum uxore Antverpiam proficiscar et postea Brugas (est enim ibi mihi negotium ex parte uxoris) ibique etiam Goltzium ipsum conveniam; quod si habeat, statim mittam. Opinor autem te vidisse eundem Firmici librum Argentorati impressum. Placet certe mihi ille libellus, sed dolendum, tam multis illum scatere mendis. Magnopere autem gratum est, quod de Arnobio manuscripto spem aliquam nobis facere videris. Utinam illum autorem alicubi invenire posses! Quod si eveniret, Deus bone, quam non noctu et interdiu illi operam daremus! Quam alacri animo illius editionem moliremur! Qualibus et quantis te præconiis et laudibus extolleremus tanti ac tam magni beneficii autorem ac repertorem? Quare etiam atque etiam te rogatum atque oratum velim (si non mea, saltem publici commodi causa), si ullo modo fieri possit, illum autorem nobis impetres. Teque hoc sedulo etiam pro solita tua humanitate facturum, non dubito. Quod autem ad studia nostra attinet, scies nos brevi volente Deo Variarum Lectionum libros aliquot edituros, in quibus cum aliorum, tum etiam tui sæpissime mentionem facio honorificam. Libenter enim fateor, unde profecerim. Tum etiam collectionem fragmentorum Euripidis ex diversis Græcis scriptoribus consarcinatam, quibus Parmenidis et Empedoclis versus multos ex iisdem Græcis autoribus collectos coronidis loco subiiciam. Memini autem, me aliquando apud te videre Parmenidis aut Empedoclis sphæram Græcis et Latinis versibus descriptam, quos versus si a te impetrare possum, libenter cum meis coniungerem. Volo etiam nunc loca quædam a me emendata tecum communicare. Apud Censorinum in libro de natali die cap. 3 sic legitur: 'sed prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur autores habet Pythagoram Samium et Cireium Lucanum et Architam Tarentinum', ubi ego pro 'Cireium Lucanum' libenter legerim 'Ocellum Lucanum', nisi si quid tu melius ex vetustis tuis codicibus proferas. Nec hoc nomen solum corruptum legitur apud Censorinum, sed etiam apud diversos alios autores Græcos, ut nos latius in Variis nostris declarabimus. In quibusdam enim *οὐκέλω*, in alius *ὁ Ἠκελλος* legitur. Apud Cornutum Persii interpretem satyra 5 pag. 70 sic legitur: 'Et œnophorum aptus] œnophorum vas vinum ferens, *οἶνος* enim vinum est, de quo est illud:

Vertitur œnophori f. s. n.'

Quem versum ego hoc modo restituendum censeo:

Vertitur œnophori fundus, sententia nobis.

Vocabulum illud 'mulcare', de quo mihi alias plurima loca emendata ostendisti, mendose etiam legitur apud Apuleium lib. 4 Asini Aurei: 'nam lumbis elevatis in altum, pedum posterioribus calcibus iactatis in eum crebriter iam mulctato graviter atque iacenti' etc., ubi pro 'mulctato' libenter 'mulcato' legerim. Hinc 'commulcare', quo utitur libro 8: 'indidem sese multimodis commulcant ictibus' etc., pro eo, quod est 'mulcant'; 'con' enim, ut notum est, in compositione nihil significat. Et apud Donatum interpretem Terentii in Andria act. 3 'hinc qui porro] in futurum deinceps, temporis adverbium vel adhortantis, ut porro q. q. que', ubi non dubito legendum pro primo q. 'Quirites', nisi tu quid melius attuleris ex antiquis membranis. Quintilianus lib. 9 circa finem: 'Itaque ubi est necesse affectum etiam tumorem, qui spondeis atque iambis maxime continetur:

Hypero argus sceptra mihi liquit Pelops.'

Sic hic versus legitur in omnibus, quos ego quidem viderim impressis codicibus et in nonnullis in margine positum est *ὑπερογκος* pro 'hyperoargus.' Sed ego legendum contenderim: 'Impero Argis.' Quæso te, consule de hoc loco manuscriptos tuos Quintilianos. Sed de his in præsentiarum satis, ne tibi mea garrulitate nauseam movere videar. Saluta, quæso, meo nomine quam officiosissime D. Pimpuntium, Auratum et Thorium et reliquos amicos. Scribas mihi, quæso te, quid factum sit de Scaligeri catalectis, an nondum prodierint. Et si quid novorum librorum apud vos editum sit, quæso, communica. Bene vale, amicorum optime. Raptim 28 Martii a. 71. Tuus ex animo Th. Canterus. Martiales tuos primo quoque tempore tibi restituam. Pimpuntii Virgilium in dies expectamus.

XVI.

L. Danæus an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 103.

P. Danieli suo L. Danæus in Christo S. P. D. Relegeram non modo *δεύτερον*, sed sæpius Plauti tui Querolum, mi Daniel, sed ut attentius et diligentius eundem recenserem, fecit postrema tua epistola. Quanquam enim is est scriptoris lepos et fabulæ huiusmodi sales, ut etiam invitum cogant et lubentem retineant, tamen quid non precibus tuis concederem, quando nihil est æquius, quam me tibi mutuas operas præstare, qui in meis rebus procurandis neque labori neqne industriæ tuæ peperceris. Ac certe primum avide tanquam diuturnam sitim explere cupiens legeram (iampridem enim a me exspectabatur hic tuus Querolus) neque quicquam aliud observaram, quam quod de verbo 'inturare' te monueram literis. Sed cum placuisset liber, relegi scrupulosius neque prætermittere constitui quicquam, quod non caperem, quantum possem, animo et cogitatione. Quæ res effecit, ut annotarem multa, quæ non nisi emendata vel intelligi vel probari mihi non viderentur posse. Quæ ego ad te mitto omnia; rationes addidi, quæ percurrenti et tanquam alio festinanti tamen statim occurrerunt, de quibus a te calculum ferri cupio. Iampridem huic literarum generi vale dixi, quemadmodum aiunt, et hærent tantum tanquam de antiqua memoria quædam. In Epiphanio autem tuo

perlegendo et observando spero me fore diligentiorem. Eas autem annotationes nostras in tuum Querolum edine velis vel (?) sit operæ pretium, esto tuum omnino liberum iudicium. Si edantur, addetur aliquid gratiæ novo auctori, qui iam pluribus placuisse apparebit. Quibusdam in locis a te dissentio. Tu, quid placeat, videbis. Annotationes istas in mundum, ut aiunt, redigere non potui, innumeris pene meæ *λειτουργίας* occupationibus distractus. Tamen legi possunt et facile describi. Si quo in loco me honorifice appelles in iis, quæ a me excogitata sunt, non displicet et proderit fortasse, quamquam ego eiusmodi non sum appetens laudis. Utcunque epigramma Latinum scripsi, quod in editione secunda tuo operi et Querolo præfigi, si placet, velim cum nominis mei adiectione, uti infra transcriptum invenies. De locis communibus alias tecum agam. De commentariis in ius civile, fortasse non erit illud scripti genus multis inutile, et scio placuisse quibusdam. Illa dico commentariorum genera, unum de iurisdictione, alterum de feudis; tertium de repudio etc. abortivus partus est. Plura ad te scribere parantem mille negotia distrahunt et interpellant. Itaque finem faciam. Vale, Deus te servet incolumem! Uxor mea te salutat quam officiosissime. Gratias habeo ingentes ob coniectanea Josephi Cæsaris: sunt illa docta et variæ lectionis plena. Iterum vale. Datum 4 Non. Octob. Tuus ex animo et ex asse Danæus.

XVII.

J. Gulielmius an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 126.

J. Gulielmius P. Danieli V. CL. S. Vide confidentiam meam, eruditissime et clarissime P. Daniel! Cum has quæstiones ad Plautum vulgarem superioribus diebus et iis colligerem dignitatis et auræ popularis gratiam a doctissimorum virorum genio, quorum mihi amicitia in Galliam appellenti magnam partem patuisset, ausus sum iam te appellare et, cui me nomine nondum cognitum scirem, eum tamen flagitare publice illum thesaurum, quem a te iamdiu exspectamus omnes Latinæ antiquitatis et germanæ pœtices studiosi. Si peccavi aut potius, quia peccavi, ignosces iuvenili ardori meo et in te incitatissimo amori. Sic me Jos. Scaligeri ad Festum divinæ notæ e tuis nartheciis plurimum et auctæ et ornatæ, sic aliorum laudes, sic tua scripta ceperunt, ut studium hoc tui meum et insinuandi me tibi cupiditatem celare diutius aut d....re non potuerim. Libri exempl..., quod cum his litteris mitto, habebis..... ius animi pignus, levidense fortasse et non dignum ista elegantissima subtilitate iudicii tui: cuius modi tamen a me paucis mensibus edolari pot.... Quodsi non displicebit tibi ratio [iu] dicandi et corrigendi nostra, co..... non leve adiicies ad alia maiora ..... nanda. Nam ad. M. Ciceronem incohata multa, affecta quædam habeo, sed hæc maiorum vigiliarum instituta perfici cogitate et conquisitis undique auxiliis perpoliri volunt. Qua in re amici mei etiam tuam benignitatem mihi promtam et paratam pollicentur, quem in nobilissimam bibliothecam Ciceronis plurimas membranas congessisse audio. De quo exspecto sententiam et voluntatem tuam. Unum nunc peto, ut me ames amantissimum tui, vir clarissime. Vale. Lutetia Parisiorum XI Kal. Novembris anno 1583.

XVIII.

Franz Daniel an P. Daniel.

Cod. Bern. 141, nr. 198.

Mon frere! Les petites occupations, que j'ay eues ces jours passez, ont este cause de ce, que je ne vous ay sitost escrit, comme je vouldroys avoir faict pour vous contenter des notes de Cuiacius, que je vous envoye maintenant. J'ay recouvre ces jours passez des epistres d'Ovide et un Marcianus Capella escritz de main, lesquelles je vous offres. Vous en avez besoing, et d'aultant, que je ne pense vous avoir satisfaict sur quelques passages de Terence, lesquels me demandies quelque temps a. Scachez, que dans l'argument ou perioche de l'Andria au viel exemplaire de monsieur Roussard, qui est escrit Langobardicis literis, il y'a 'desponderat'. Dans le mien, qui n'est moins ancien et que je trouve en plusieurs passages bien correct, y a 'desponsaverat', le tout escrit en l'un et l'autre fort disertement. Dans le mien aussy je trouve qu'il est repugnant d'avec celuy du dit sieur Roussard et des imprimez. Car le mien a 'puerum' et non 'puerulum', et puis apres 'ex insperato agnitum', mais les imprimez et celuy du dit sieur Roussard n'a point 'ex'. Dans tout les deux escritz il y'a a la fin 'hanc Pamphilo dat' et non comme aux vulgaires 'dat Pamphilo hanc'. Quant au dernier vers de la perioche des Adelphes 'exorato suo patre duro Demea' il est dans celuy du dit sieur Roussard, mais dans le mien ny cela ny l'argument n'y sont. Je vous prie, sy nous volons sortir quelques chose de Agrœtius, Caper, Fronto, Beda et autres, comme Fulgentius non imprime et plusieurs autres, qu'avez. Et si les derniers livres du sieur Turnebus sont achevez, je vous supplie, nous en envoyer. Mons. Vaillant m'a charge derechef, de vous prier de luy retenir l'Aristophane Grec et Theocrite a cent dix solz, comme m'avez mande et vous en envoyeray un de ces jours l'argent par celuy, qui portera les memoires de notre cause de .... J'ay este veoir Mons. le Cardinal de Chastillon a Sainct Benoist, qui m'a dit vous avoir veu a Paris et par le moyen de Mons. du Rondeau il m'a ordonne pension pour estre a son conseil jusques a ce, que je puisse exercer le baillage, etc. etc. D'Orleans ce mercredy deuxiesme de May 1565. Votre frere et meilleur ami Franc. Daniel.

3 0112 115882133